Q. D. B. V.

DISSERTATIO
EXHIBENS
OBSERVATIONES
DE
HOMINE
SELECTAS

QVAM

PRAESIDE

MARTINO GOTTHELF
LOESCHERO
PHYS. ET MEDICIN. DOCT. AC PROF. PVB
NEC NON PHYS. PROVINC. SEREN. DVCIS
SAXO-VINARIENSIS

PATRONO SVO AC STVDIORVM PROMOTORI
OMNI OBSERVANTIAE AC REVERENTIAE CVLTV
PROSEQVENDO

P. P.

RESPONDENS

GOTTLIEB BENJAMIN BERGERV
PHIL. ET MED. C.
Suidnic. Sileſ.

IN AVDITORIO MAJORI

D. XI. MART. A. O. R. M DCC XXII.

VITEMBERGAE, LITERIS VIDVAE GERDESIAE

I. N. J.

OBSERVATIONES

DE

HOMINE

SELECTAE

OBSERVATIO I.

ARTERIOLAE ARTERIAE MAGNAE.

Datur in corpore humano duplex genus vaſorum ſangviferorum: alterum ſangvinem e corde provehit verſus omnes corporis humani partes, & vocatur arteria; alterum vero ſangvinem a corporis partibus iterum ad cor revehit, & vocatur vena. Venas mittamus, & qvaedam de arteriis notabilia

tabilia in ſcenam producamus. Nam arteria denuo duplex obſervatur: alia vocatur aorta, qvia ex cordis ventriculo ſiniſtro egrediens circulum ſangvinis qvaſi exorditur, & magna, ob majorem, qvem dirigit, ſangvinis motum circularem, ac ille eſt, qui arteriam pulmonalem intra contingit; altera pulmonalis, quae propriam & tantummodo per pulmones obtinet ejusdem diſtributionem arteria. Nolumus vero de arteria magna hic afferre multa, de ejus egreſſu ex corde inſtar arcus, num adhuc dividi debeat in truncum aſcendentem, & deſcendentem, de ejusdem per univerſum corpus diſtributione, & de variis naturae luſibus, qui in hac diſtributione obſervantur, aliisqve, qvae omnino conſiderationem merentur. Vbi notabile eſt iſtud, qvod in cane Venatico aliquando obſervabamus, quem in Praelectionibus Medicis privatis ſecabamus; duplicem nempe videbamus arteriam Iliacam, & ubi ſe in duas ramificationes dividit, utraqve ramificatio duplicata quoque apparebat, id qvod num ſtrenuum ejus curſum, in qvo prae aliis excellebat, produxerit, alii judicent. Reſpicere itaque tantummodo eſt animus arteriae in corde conditionem, ubi deprehendimus, eam ibidem peculiarem per totam cordis machinam emittere arteriam, qvam coronariam appellant Anatomici, ipſa vero aliquando in ipſa ſua ſubſtantia arteriolis qvibusdam praedita eſt minimis, de quibus non adeo multa apud Anatomicos Scriptores relata legimus. Excipimus duos de re Anatomica ſummopere meritos Viros, primus eſt RVYSCHIVS, qui in *Epiſt. Problem. III.* has arteriolas eqvidem depingere & delineare, ac ſi ex coronaria exorirentur, curavit, accurate vero non deſcripſit; alter eſt Beatus noſter BRENDELIVS, qui celebritate Nominis facile alios Anatomicos noſtri ſeculi nimis glorioſos

ex-

exuperat. Nos etiam lubentius hic memoriam optimi & Beati Viri renovare geſtimus, quoniam de arteriolis intra arteriam aortam repertis, integram exaravit Epiſtolam ad Sereniſſimi Poloniarum Regis & Electoris Saxoniae Conſiliarum Aulicum & Archiatrum, IOHANNEM GODOFREDVM BERGERVM, Patronum noſtrum ſummopere devenerandum atque colendum, in qva, qvo pacto dictae arteriolae in animantibus majoribus, urſo, eqvo &c. nec non in homine adulto ſeſe habeant, eleganter ac copioſe diſputat. Addere forſan licebit, nos easdem in infante qvodam recens nato & in partu difficili extincto, obſervaſſe, & qvidem non tantum vidimus has arteriolas minores per arteriam aortam, verum etiam pulmonalem & auriculas cordis diſſeminatas. Praeparavimus arte cor hujus infantis, & qvidem maxime tubum arterioſum & foramen ovale, utpote vaſa magis in foetu, quam in homine adulto, conſpicua, illudque in liqvore adhuc conſervamus, poſſumusque curioſis Spectatoribus allata vaſa in arteria magna & pulmonali, nec in non auriculis cordis adhuc turgentia demonſtrare. De qva qvidem re eo magis in ſinu gaudemus, qvo magis antea laudatus RVYSCHIVS hoc in aliis reprehendit Anatomicis, qvod multa demonſtrent, de qvibus poſt demonſtrationem merito unusqvisqve poſſit dubitare, utpote viſum fugientia, & a nullo, niſi inventore, fere viſa. Notabilis eſt locus, itaqve B. L. forſan brevem ejus commemorationem nobis facile condonabit, ita enim ait Th. VI. *Cum ſcriptores Anatomicos olim rogare ſolerem, ut mihi haec demonſtrare vellent, qvae per figuras exprimi curaverant; brevis eorum erat reſponſio, ſcilicet hoc tunc temporis mihi ita occurrebat, jam autem nulla mihi datur demonſtrandi occaſio, & ita diſcedere coactus fui. Ne autem mihi tale quid*

regerere cogar, omnia, qvae per figuras cum orbe literato communico, maximo ſumtu conſervo. Si omnes Anatomici ita feciſſent, non tam freqventer diſputaſſent, de vaſorum minimorum exiſtentia ſine ulla ſenſibili demonſtratione. Si qvaeritur, cur provida natura in arteria magna arteriolas iterum minimas adeo ſollicite efformaverit, vulgo reſpondetur, illas arteriis majoribus advehere ſuccum nutritium. At enim vero ſi omnis arteria pro ſua nutritione opus habet arteriola minore, quae demum eſt arteriola, arteriolas enutriens, certe in infinitum hoc modo erit procedendum. Noſtra quidem opinione videntur facere ad motum ſangvinis in tubo arterioſo & foramine ovali in foetu, qvoniam, uti ex noſtra hactenus allata conſtat obſervatione, in homine recens nato adeo ſunt inſignia.

OBSERVATIO II.

VASA LACTEA, NVM CAVSA SINT LONGAEVITATIS IN HOMINE?

Vaſa lactea rectius forſan chylifera appellari debent, qvia per Meſenterium non lac, ſed chylum, ex primis viis ad ſangvinem promovent. Haec vaſa communiter lactea dicta, eqvidem in homine non omnibus ſunt obvia, qvi ſectionibus cadaverum indulgent, ſed adeo rariſſime, uti vulgo opinantur, non apparent. Demonſtrata multoties ſunt a Nvckio, Morgagni, Heistero, Salzmanno aliisqve, & nos ipſi eadem ante aliqvot menſes hic loci in infante ſex circiter annorum aliqvot poſt mortem horas Amicis demonſtravimus. Imo non tantum-

mo-

modo vaſa lactea Meſenterii, verum etiam, uti credit, ciſternam Chyli cum ductu Thoracico in homine jam ante duodecim, & qvod excurrit, annos Argentorati oſtendit egregius SALZMANNUS, atqve ductum Thoracicum peculiari enchiriſi materia qvadam coagulabili replevit, illumqve adhuc curioſis Spectatoribus in Muſaeo Anatomico ob oculos ponendum poſſidet, *vid. ejusdem diſputatio de hoc argumento conſcripta.* De ciſterna vero ſeu receptaculo Chyli aſſerendo cautione nobis opus eſſe videtur, obſtant enim multae dubitandi rationes. Ante omnia notum eſt, RUYSCHIUM multum in diſſecandis cadaveribus deſudaſſe, ipſumque ſaepius cadavera, etiam ſtatim poſt mortem, aperuiſſe, uti ejus ſcripta multis in locis teſtantur, iſte tamen *Adverſ. Anat. II.* graviter pronuntiat: *Ciſterna chyli in homine ordinarie non reperitur.* MORGAGNI *Adverſ. Anat. III.* dicit, *eam in homine non ita reperiri ac Verheymius eandem depingeret*, i. e. amplam & latam, uti in brutis apparet. HEISTERUS *Append. compend. Anat.* ubi obſervationes ſuas de vaſis lacteis in triplici cadavere viſis affert, plane de eadem tacet. Si itaqve aliqvando apparet, vel pro luſu naturae, vel pro ampliato aliqvatenus inferius ductu Thoracico eſt habenda. Qvod nos vero potuerimus in infante, qvod alias obſervationes utpote tantum in adulto homine inſtitutas raritate, ſuo qvodam jure exuperare videtur, vaſa lactea adeo eminentia conſpicere, exoriebatur, ſi conjecturae locus eſt, forte exinde, qvia iſte infans per integras qvasdam hebdomadas nihil fere ſolidi aſſumſerat, ſed tantum jusculis bene nutrientibus enutritus fuerat. Ut vero ad propoſitum veniamus, circa vaſa lactea occurrit opinio JOHAN. WOODWARDI, qvi nuper Londini *Librum de praeſenti Medicinae ſtatu* edidit, in qvo exiſtimat,

ter-

terminum mortis determinatum eſſe menſura & numero vaſorum lacteorum. Horum enim numerum & menſuram talem eſſe ordinario, ut ad Chylum per annos ſeptuaginta & ultra transmittendum ſufficiat, niſi cauſa qvaedam eadem debilitans accedat, e.g. varietas tempeſtatum, intemperies atmoſphaerae, animi Pathemata, omniaqve, qvae elaborationem & motum chyli vel retardant, vel accelerant. Eandem ob cauſam damnat uſum remediorum evacuantium, vel per ſuperiora, vel per inferiora, utpote vaſa lactea debilitantium, imminuentium, & pravum chylum producentium. Confutatus vero eſt a qvodam ex ſuis conterraneis, nec immerito, qvia vita in motu non ſolum chyli, verum etiam omnium humorum, & maxime ſangvinis, nec non perpetua commotione cordis & arteriarum conſiſtit.

OBSERVATIO III.

PILORVM CORTEX A LOEWENHOEKIO ET NOBIS OBSERVATVS.

Ex cute per poros ejusdem progerminant pili, de qvorum ſtructura ex ANTON. LOEWENHOEKII *Epiſtol. Phyſiolog.* illud nobis videtur eſſe notabile, crines noſtros aeqve obductos eſſe cortice, ac qvemlibet arboris ramum, & interiores atqve oblongas crinium partes, iterum ex interioribus atqve oblongis partibus componi. Qvod qvia non in humanis modo crinibus, ſed & in bovillis, eqvinis, ovillis porcinisqve deprehendit, idem de qvibusvis animalibus exiſtimandum eſſe cenſet, exceptis Alcibus atque

Cervis,

Cervis, qvi in ſolo frigore verſarentur. Similem pilorum ſtructuram, duplicem eorum texturam, pellucidam nimirum & tenuiorem ac paulo ſolidiorem, & aliqvatenus obſcuram & noſtro ſaepius obſervavimus Microſcopio Anglicano. Explicare hac ratione facile poſſumus, unde fiſſuras crines poſſint contrahere, atqve dehiſcere, ſi ſcilicet exterior cortex ab interiore ſubſtantia ſegregatur.

OBSERVATIO IV.

ORIGO LINEARVM IN MANIBVS CONSPICVARVM.

Curioſa porro eſt illa diſqviſitio, quae de origine linearum, qvae in interiori manu in cute ſunt conſpicuae, eſt ſollicita. Nolumus vero hac in obſervatione omnia cumulare, qvae hanc in rem in Chiromantia, cujus fundamentum ſunt hae lineae, afferuntur. Sufficiat igitur ex tam multis opinionibus unicam afferre, nempe LANCISI, qvi in ſua *de Phyſiognomia diſputatione*, easdem fieri & exoriri contendit, a perpetua Embryonis manuum in utero contractione, a qva etiam neqve per aliqvod temporis intervallum poſt partum remittit. Quid vero de adeo decantata Chiromantia ſit ſtatuendum, egregie pronuntiavit HENRICVS CORNELIVS AGGRIPPA *de vanitate ſcientiarum*, dicens, omnes, qvi hac de arte aliqvid poſteritati relinqvere velint, tamen ultra conjecturas, & experientiae obſervationes tradere poſſe nihil. Non autem ineſſe conjecturis illis & obſervationibus ullam veritatis regulam, ex

eo eſſe manifeſtum, qvia figmenta ſint voluntaria, & ſuper qvibus ipſi etiam aeqvalis doctrinae & autoritatis illarum Doctores non concordent.

OBSERVATIO V.

FORAMINVLA OMENTI DVBIA.

In Omento, vel, uti ab aliis vocatur, Operimento, ſi elevatur & dilatatur, plerumqve foraminula qvaedam apparent. De qvibus tamen, num juxta naturam exiſtant, an vero ab hujus tunicae tenerrimae elevatione & explicatione oriantur, adhuc diſceptatur inter Anatomicos. Videbimus itaqve, qvid recentiores de iis ſentiant. Primo RVYSCHIVS *Theſ. X.* illa revera non adeſſe, & ſcribit & curioſis demonſtrat Omenti humani portionem nitidiſſimam, in qva intueri poſſunt curioſi Spectatores, qvod in qvibusdam tam tenuis ſit ſubſtantiae in ſtatu ſano, ut telae aranearum ſit ſimilis, exceptis locis, qvae pingvedine ſunt munita, unde craſſitiem aliqvando acqvirit talem, ut aliqvot, imo plurium, librarum repertum fuerit pondere, uti BARTHOLINVS *Anatom. Reformat.* refert, cum tamen naturaliter, vix ultra dimidiam libram ejus pondus aſcendat. Idem Omentum praecipue praeter naturam craſſum, amplum & ponderoſum, qvando fundum Veſicae & Vteri os intercedit, orificium illius internum premendo, facile ſterilitatem in femellis pingvioribus poteſt inducere, ſicuti in Viris, in Scrotum deſcendendo, Epiplocelen facile efficit. Detegitur etiam in Omento a RVYSCHIO aſſervato, & a corruptione vindicato, dolus, uti loqvitur, ab Ana-

Anatomicis commiſſus, qvod ſcilicet Omentum in ſtatu naturali retis inſtar ſit foraminulentum, id qvod a rudioribus manibus facile acqvirit. Deinde WINSLOW, Membrum Academiae, qvae Pariſiis floret, Regiae Scientiarum, haec foraminula qvoqve negat, & hac occaſione de Omenti adminiſtratione anatomica agit, vid. *Acad. Royal. des Sciences Anno 1715.* Namqve non diffitendum eſt, Anatomicos multis modis eandem inſtituiſſe. Qvidam enim illud farinae aut furfuribus immerſum, ab omni pingvedine liberant. ADRIANVS SPIGELIVS *de Fabrica corporis humani* aqvam infundere jubet Omento, ut ejus amplitudo eo melius obſervetur. Mavult tamen RIVINVS *Diſputatione de Omento*, facta inciſione prope Ventriculum e. g. manum hunc in finem inſerere, ut hac ratione omni ex parte diſtrahi qveat, id qvod ſaepius in canibus tentavimus. Poteſt etiam fieri inciſio, mediante cultro anatomico, loco qvodam commodo, atqve huic applicari tubulus, ita ut circum circa manu apprehendamus adjacentem Omenti portionem, & poſtea tubulo flatus immittatur, ut ejus cavitas & figura appareat. Hoc vero negotium non adeo facile ſuccedit, ſed vel totum Omentum flatu extendere non poſſumus, vel, licet etiam flatu diſtendatur, illud tamen brevi temporis intervallo, inſtar pulmonum, iterum corruit. Qvo qvidem Experimento Omentum foraminulentum eſſe, vulgo confirmare conantur. Ad hujus itaque opinionis falſitatem demonſtrandam citatus Gallus paulo accuratius ſtructuram Omenti inveſtigavit, atqve invenit aperturam ejus qvandam naturalem, eandemque inſignem, eo in loco, ubi difficulter obſervatur, nempe ſub magno hepatis lobo, inter illud ligamentum, qvod inteſtinum duodenum cum hepate conjungit, & praecipue

cum veſica fellea, arctiſſimum habet commercium, eo in loco, ubi radix eſt lobi minoris Spigelii, & iſtud ligamentum, qvo inteſtinum colon cum glandula pancreatica connectitur. Haec duo ligamenta in ſua conjunctione, relinqvunt in infante qvatuor aut qvinqve annorum foramen qvoddam, cujus diameter eſt qvatuor vel qvinqve linearum, qvod dicta hepatis prominentia perforat. Huic tubum capaciorem immiſit, digitis comprehenſa parte adjacente, & flatu Omentum dilatavit. Quo facto expertus eſt, repetito multoties Experimento, qvod unusqvisqve nobiscum facile imitari potuerit, Omentum praeditum eſſe figura burſae cujusdam inaeqvalis. Atqve adeo ex hac obſervatione ſatis luculenter conſtare videtur, antea allata Omenti foraminula, vel eſſe fictititia, vel ex rudiori Omenti tractatione exoriri.

OBSERVATIO VI.

GLANDVLARVM COWPERIANARVM VSVS ET MORBVS RARIVS HACTENVS OBSERVATVS.

Vtilitatem Glandularum circa genitalia virorum occurrentium, & a Cowpero detectarum, utpote inſignem omittere & reticere neutiqvam nec poſſumus nec debemus. Qvippe hae glandulae non eundem cum glandulis proſtatis, ſed proprium habent uſum. Qvoniam enim lympham qvandam mucaginoſam & gelatinoſam ſecernunt, ob qvam cauſam etiam mucaginoſae appellantur 1. qvando

penis

penis erigitur, tantum liqvoris ab iisdem deponitur in urethram, qvantum omnibus ab urina reſiduis impuritatibus ejiciendis, harumque cum liqvore genitali commixtioni praecavendae ſufficit, atqve hoc feliciſſime ab iisdem peragitur propterea, qvia immediate ſub muſculo acceleratore, erectionem penis dirigente figura phaſeolorum minimorum conſpiciuntur. 2. Liqvore ſuo molli & laevigante, qvem quoque alio extra erectionem haſtae virilis tempore in urethram infundunt, eam ab lotii ſalibus defendunt. Similis enim liquor e proſtatis exſudare nequit, qvia membrana interior meatus urinarii in illo loco, a vicino ſphinctere magis coarctatur, & veſiculae ſeminales, qvo minus aliqvid liqvoris ſtillent, caruncula qvadam optime muniuntur. Neque qvoqve alium liqvorem, qvam talem, qvalem generant, poſſunt emittere. Seminis autem emiſſio nunqvam in ſtatu naturali, absqve titillatione venerea & voluptuoſa contingit. Obſervavimus cum aliis recentioribus, in hactenus allatis glandulis Cowperianis peculiarem qvandam Gonorhaeae ſpeciem. Nam hactenus in Scholis Medicorum tantummodo duplex Gonorhaea innotuit; alia ſimplex, alia virulenta. Simplex eſt involuntarium ſeminis profluvium absqve titillatione venerea, plerumqve a veſicularum genitalium & glandularum proſtatarum, earum denique inſertionum in urethram relaxatione & laeſione. Virulenta vero magis in effuſione materiae virulentae, purulentae, foetidae, flaveſcentis vel virideſcentis per membrum virile conſiſtit, atque, ut plurimum, a contagio venereo genitalia exedente exoritur, qvalem etiam Gonorhaeam, licet improprie ita dictam, in feminis Lue venerea laborantibus obſervavimus. Praeter has duas Gonorhaeae ſpecies in praeſenti qvoqve tertiam,

nimirum Gonorhaeam glandularum Cowperianarum exponere animus eſt. Haec Gonorhaea poteſt eſſe vel ſimplex, vel cum alia qvadam Gonorhaeae ſpecie conjuncta. Simplex dicitur, qvando ſolae hae glandulae hoc malo laborant, complicata vero, qvando ſimul glandulae proſtatae & veſiculae ſeminales a contagio venereo laeſae deprehenduntur. Deinde haec ipſa Gonorhaea vel in ipſo coitu impuro, vel poſt eundem excitatur. In coitu virus venereum in femina impura excitatum, & in motu impetuoſo conſtitutum, ſe inſinuat in ipſam uretheram hominis, & conſeqventer etiam ad glandulas Cowperianas penetrat. Extra vero cohabitationem cum femina veneream, ſi veſiculae ſeminales & glandulae proſtatae jam tum Gonorhaea afficiuntur, fieri non poteſt, qvin, qvando materia virulenta ex iisdem profunditur, illa glandulas Cowperianas, utpote propinqvas, etiam tangat, atqve ſimile malum in iis producat. Signa hujus morbi ſunt talia. 1. Aeger ſentit dolorem in medio penis & circa anum, utpote loco, ubi hae glandulae ſunt repoſitae. 2. Chirurgus ibidem poteſt obſervare tumorem qvendam inſignem & praeternaturalem, qvippe qvi nihil eſt aliud, qvam inflammatio harum glandularum. 3. Profuſio materiae purulentae & virulentae non adeo eſt inſignis, qvoniam hae glandulae, ex qvibus eadem promanat, ſunt admodum exiguae. Sedem autem affectam rarioris hujus morbi, revera eſſe dictas glandulas, detexit LITTRE *in Academia Pariſienſi* apertione cadaveris hoc morbo, dum homo adhuc in vivis erat, laborantis. Namque 1. vidit totam ferme ſuperficiem meatus urinarii qvaſi inductam fuiſſe ſimili liquore corrupto, qvalem poſtea ex glandulis Cowperianis exprimebat. 2. Ipſas glandulas adhuc rubicundas, inflammatas & exul-

cera-

ceratas deprehendit. Non adeo periculoſa de caetero eſt haec Gonorhaea, qvia non multa habet conjuncta Symptomata, & facilior datur aditus remediorum ad locum affectum. Curatur qvippe cataplasmatibus & fomentationibus emollientibus, lenientibus & diſcutientibus. Ex ejusmodi etiam ſpeciebus poſſunt fieri inſeſſus ſummopere hoc in morbo proficui. Hac itaqve ratione, ratio hujus morbi, ejusdemqve a reliqvis cognatis diſcrepantia facile apparebit.

OBSERVATIO VII.

FISSVRA LIENIS EX TIMPANITIDE.

Dum praeſentes conſcribimus obſervationes, inter aegrotantium qverelas, aliaqve concatenata negotia, in mentem venit recordari obſervationis cujusdam rarioris, qvam nobis in puero extincto decem circiter annorum videre contigit. Nempe Lien in ſectione ejusdem cadaveris non tantummodo ſummopere flatibus apparebat tumefactus, ſed etiam ſenſibiliter induratus & ponderoſus, duasqve oſtendebat fiſſuras inſignes, qvarum utraqve digitum mediocrem facile admittebat. Circa has fiſſuras tunica lienis exterior vehementer erat extenſa, dilatata & paululum diſrupta, ita tamen, ut fibrae qvaedam ejus continuitatem in ſuperficie Lienis conſervarent adhuc integram. Huic obſervationi addimus peculiarem uſum lienis prolatum a RICHARDO BLAKMORE in ſuis *Tentaminibus*. Exiſtimat enim hoc viſcus non adeo ad conſervationem

nem vitae facere, ſiqvidem ſine diſpendio vel vitae, vel valetudinis poſſit extirpari, ſed potius inſervire generationi hominis vel juvandae, vel moderandae. Conjicit itaque, id forte fieri obſtruendo ſangvinis torrentem, ejusqve nimiam rapiditatem moderando, ne fluida prolifica nimia vel vehementia, vel copia in partes generationi inſervientes alias ruitura, procreationem prolis magis impediant, qvam promoveant. Nam retardari ſangvinis motum in liene, patere ex eo, qvod diameter arteriae, qvae ſangvinem in lienem immittit, octuaginta vicibus ad minimum minor ſit diametro viſceris totius, unde ſecundum regulas Hydroſtaticas ſeqvi, circulationem ſangvinis totidem vicibus tardiorem eſſe, qvam erat ante ingreſſum. Et qvanqvam ſub ingreſſum ex liene priſtinam celeritatem videatur recuperare, monet tamen ex obſervatione Cheſeldeniana, ſangvinem ex liene in hepar intrare motu octo vicibus tardiore, qvam intraverat in lienem. Atqve, ut hanc ſuam opinionem eo melius confirmet ac illuſtret, ſubjungit, Purcellum, Medicum Londinenſem, obſervaſſe & animadvertiſſe, canes exſecto liene fuiſſe ſalaciores & ad venerem magis pronos, atque erant lienem adhuc poſſidentes.

OBSERVATIO IIX.

OFFICIVM ET VSVS RENVM SVCCENTVRIATORVM IN HOMINE.

Renum ſuccenturiatorum uſum adhuc eſſe incertum, aſſerunt ad unum fere omnes recentiores naturae humanae indagatores, eumque in foetu majorem & eminentiorem eſſe, ipſis veroſimile videtur. Illud certum eſt,

Renes

Renes ſuccenturiatos in Embryone aliquando ipſis renibus eſſe aeqvales, aliqvando vero etiam eosdem magnitudine exuperare, aliquando etiam, uti MORGAGNI *Adverſ. Anat. IV.* obſervavit, cum ipſis renibus videntur unum qvaſi conſtituere corpus. In adulto autem homine qvaſi corrugatae & depreſſae ſunt iſtae capſulae, vulgo atrabilariae dictae. Si itaqve conjecturae locus eſt, forſan hae capſulae ſunt diverticula urinae, atqve ejusdem acrimoniam lympha, qvam, qvoniam glandulae ſunt, ſecernunt, temperant, ne tenerrimae veſicae urinariae Embryonis poſſit noxam inferre. Nam licet eqvidem in brutis tunicam tertiam ſecundinarum, Allantoideam & urinariam dictam, facile poſſimus demonſtrare, & in eadem etiam lotium collectum deprehendamus; illud tamen ſecus ſe habet in homine. Diſputatur qvippe acerrime inter recentiores, num haec membrana qvoqve in homine reperiatur nec ne, atqve delineata qvidem eſt ex Bidloi Opere Anatomico a Blancardo, merito tamen Verheyenio & haec delineatio ſuſpecta videtur. Dicit etiam MUNNIKIUS *de Re Anatomica*, ſe illam multoties auditoribus ſuis cum applauſu & approbatione demonſtraſſe; adduci vero non poſſum, qvin RUYSCHIO, ejusdemqve experientiae, contradicam. vid. ejusdem *Theſaurus Anatom. V.* Sentit vero ac cenſet ibidem ita, ſe ſibi hactenus ſatisfacere nondum potuiſſe, qvid ſtatuendum ſit de Allantoide brutorum, & de ejus contento humore, multo minus, qvid dicendum de ita dicta Allantoide humana, qvandoqvidem ipſam nunqvam invenerit, licet per qvadraginta annos, multis in ſubjectis & impenſis incredibilibus ipſam qvaeſiverit. Nunquam etiam Urachum humanum ita invenit pervium,

C ut

ut flatum, vel liqvorem, ex veſicae cavitate adigere potuerit in peculiarem ita dictam Allantoideam. Nam eqvidem Urachum apertum, ſed tantum ad digiti transverſi longitudinem, & non ultra obſervavit. Qvia igitur urinam ex corpore exterminare foetus non poteſt, commode in renibus ſuccenturiatis poteſt moras nectere, praeſertim cum ejus acrimoniam ibidem lympha harum glandularum, uti ſupra innuimus, egregie poſſit demulcere.

OBSERVATIO IX.

NVTRITIO FOETVS ETIAM PRIMIS MENSIBVS PER OS NATVRALITER CONTINGENS.

Embryonem in utero materno, conſumto illo liquore, qvo ovulum humanum turget, nutrimentum primis Menſibus recipere per funiculum umbilicalem, communis fert opinio. Obſervavimus vero in Embryonibus brutorum, in illis adhuc tenerrimis, & in primis adhuc ſuae nutritionis in utero menſibus conſtitutis, os notabiliter apertum. Poſſidemus duplicem Embryonem agninum valde exiguum & tenerrimum, qvem in liquore asſervamus, aperto ore conſpicuum. Atqve nuper nobis offerebatur foetus ovillus minimus & tanta teneritate, ut qvaſi transparens ac diffluens videretur, in qvo nihilo tamen ſecius os deprehendebamus apertum. Conſervamus

mus etiam Embryonem hominis in liqvore, cujus magnitudo vix articulum minimi digiti adaeqvat, adhuc tenerrimum, qvi tamen etiam os apertum cum prominente lingva oſtendit. Quidni itaque etiam primis menſibus, nutritio poſſit fieri per os, illo patente, praeſertim cum nutritio per funiculum umbilicalem difficulter demonſtretur, atqve multis difficultatibus circumſepta ſit, qvia nec homo adultus ſangvine nutritur, adeoqve multo minus Embryo ex hoc craſſo liqvore augmentum ſuum accipiet.

OBSERVATIO X.

PRIMOGENITVRA PARTIVM CORPORIS HVMANI NVLLA.

Difficilis adhuc eſt qvaeſtio, de origine corporis humani ratione ſingularum ejusdem partium. Nam hactenus illa obtinuit opinio, qvae nullam admittit praerogativam inter partes, ratione primogeniturae, ſed in ovulo maturo & impraegnato, ejusdemqve cicatricula, omnes jam eſſe delineatas, atqve ibidem exiſtere adſtruit. Incerta enim ſunt ea, qvae de rudimentis futuri hominis, ante conceptionem in ovulo jam praeſentibus, nec non de generatione hominis ex vermiculo, in liqvore genitali virorum conſpicuo, vulgo afferuntur. Qvapropter, qvoniam totum corpus ex fibris ratione partium ſolidarum compoſitum eſſe videtur, ex qvibus denuo membranae, vaſa, cartilagines, oſſa, viſceraqve conſtant, operae pretium

erit ad ſeqventia, qvae huc ſuo qvodam jure ſpectare videntur, animum advertere. Conſtat itaqve ex obſervatione Autorum fide digniſſimorum, Serum ſangvinis poſt lenem coctionem, non tantum in fibroſam compagem coire, ſed etiam cartilagineam, & diuturnitate temporis qvoqve oſſeam induere naturam. Atqve haec obſervatio nos docet, omnes corporis humani partes materialiter in eodem latere, caloreqve blando & naturali, formam decentem acqvirere. Illuſtrat hanc fibrarum generationem ex ſangvine excreſcentia polyporum, qvi utplurimum circa divaricationes vaſorum majorum reperiuntur, & maſſam qvandam fibroſam multis pedibus inſtructam repraeſentant. Ejusmodi Polypi in pulmonibus generati, & per tuſſim rejecti, multis impoſuerunt, ut iſtos pro vaſis majoribus pulmonalibus in Phtyſi conſummata per expectorationem excretis habuerint. Id qvod ipſe Tulpius credidit, *Obſervat. Lib. II. cap. 12. 13. 14.* ſed a Ruyschio contrarium demonſtratum legimus *Theſ. IV. & Epiſt. VI.* Oſtendit enim Curioſis ejusmodi Polypos albicantes, & inſtar vaſorum ramoſos, ipſaqve ad amuſſim aemulantes, ubi qvilibet obſervare poteſt, illos facillime decipere obſervatores, nulla enim in re ab arteriis venisqve differunt, qvam ſola cavitatis abſentia, cum ubiqve ſolidi duriqve exiſtant. Simili ratione ſaepenumero ex Vtero, plerumqve poſt partum Maſſa qvaedam fibroſa & rubicunda, ſangvinem grumefactum continens, magno cum dolore & labore a femellis excernitur, vel in majori vel minori mole, qvam Molam vulgo appellare ſolent, & a placentae uterinae reliqviis exoriri arbitrantur. Veroſimilius autem videtur, ipſas ex retento ſangvine & fluxu lochiorum genera-

nerari, qvia cum placenta uteri nullam habent convenientiam, utpote qvae magis vaſculoſam, qvam fibroſam, habet ſubſtantiam, in ejusmodi vero Molis, praeter fibras & ſangvinem craſſiorem, nihil invenimus, uti poſt diligentem ipſarum inveſtigationem ipſi ſaepius experti ſumus. Habemus qvoqve hac in re conſentientem iterum RVYSCHIVM *Theſ. VI.* qvippe qvi ex femella examinavit placentae qvoddam rudimentum, qvod mulier qvaedam poſt excluſionem Embryonis excreverat. Hujus ſuperficiei cohaerebat ſangvis coagulatus, cujus portionem abſtulit, & aqvae purae immiſit, ut omnis rubedo evaneſceret. Quo facto obſervavit, iſtam portionem magnam habere analogiam cum membrana, atqve hinc concluſit, varios fuiſſe deceptos in ſuo judicio, exiſtimantes, cum puerperae enituntur ejusmodi objecta, ea eſſe reliqvias tunicarum placentae uteri. Hoc loco qvoqve commoda erit de ortu Sarcomatum diſſerendi occaſio. Vidimus enim excreſcentiam lingvae carnoſam, qvae aliqvando deglutitionem, ipſamqve reſpirationem ita impediebat, ut aeger in periculum ſuffocationis incideret. Quod quidem Sarcoma laxantibus & ſangvinem purificantibus remediis, nec non applicata decenti ligatura, brevi temporis intervallo curavimus. Habebat vero conſiſtentiam membranoſam & fibroſam, intus una cavitate majori & pluribus minoribus praeditam. Ex his poſt inciſionem ſangvis fibroſus & ad concretionem pronus, cum impetu proſiliebat. Ex quo, ſi conjecturae locus eſt, primo membranoſa hujus Sarcomatis ſubſtantia erat orta, qvae deinde tractu temporis fibroſa & carnoſa portione, ex eodem ſangvine concreſcente interius replebatur. Conſervamus curio-

rioſitatis cauſa hoc Sarcoma in liqvore, illudqve unicuiqve facili negotio poſſumus oſtendere, cum ſinuoſa & fibroſa ejus ſubſtantia, qvae multum videtur convenire cum ſubſtantia lingvae, ex qva erat excreta, qvippe qvae in elegantisſimo fibrarum, ex qvibus conſtat, ordine multos ſinus & ductus continet, unde etiam freqventiſſime fiſſuris, in febribus praecipue continuis & Scorbuto laborat.

OBSERVATIO XI.

ORIGO VASORVM SPECIALIS.

Antecedens de ortu fibrarum propoſita obſervatio, nos invitat ad conſiderationem originis ſpecialis variorum vaſorum. Nam haec res adeo confecta non eſt, uti qvidem communis fert opinio, ſed omnino ulteriori examine opus habere videtur. Baglivvs *de fibra motrice morboſa*, omnes fibras diſtingvit in membranoſas, qvae originem ex cerebri tunicis haberent; & carnoſas ſeu muſculoſas, qvae ex tendinibus orirentur, atqve ſuam originem ex oſſibus traherent. Vaſa igitur, ex qvibus humanum corpus conflatur, arterias nempe, venas, vaſa lymphatica, oſſa, fibras carneas, membranaceas, tendineas & cartilagineas habere principia & fines, inficiari non debemus, ſunt qvippe corpora, & partes habent extra partes. Utrum vero unum vas ex altero procreetur, an vero per ſe ſubſiſtentia ſibi invicem connectantur, qvis explicabit, niſi per conjecturam? Praeter opinionem Baglivianam, recen-

centiores maximam partem ſeqventem fovent ſententiam. Arterias originem omnibus reliqvis vaſis praebere, atqve reliqva corporis humani vaſa ex iisdem, tanqvam ex fonte, promanare, adeo, ut omne corporis noſtri ſolidum, ex pluribus arteriarum ex iisdemqve propagatorum ductuum faſciculis, cum aliis vaſculis permiſtis, partes corporeas fluidas vehentibus pariter ac continentibus ſit compoſitum. Laborat tamen & haec opinio ſuis difficultatibus, de qvibus alibi copioſius verba fecimus.

OBSERVATIO XII.

CONIECTVRA DE OVARIIS MVLIERVM.

Embryonem in utero conceptum, ex eodem poſſe prorumpere & progredi in cavitatem abdominis, ab *Hildano* & *Veslingo* relatum legimus. Diſſecuit enim Hildanvs uxorem aurificis, in qva matrix erumpente infante lacerata, ejusqve caput in laevam ventris capacitatem demiſſum erat. vid. *Cent. I. Obſ. 64.* Ex eadem uteri ruptura, foetum nunc caput, nunc pedes, manusve, qva data via eſt, in abdomen exſerere, nunc toto corpore maternis inteſtinis incumbere memoriae prodidit Veslingvs, *Syntagm. Anat. c. 7.* Idem vero & nos duplici vice obſervavimus. Laborabat nempe foemina partu difficili,

ad

ad qvam vocati videbamus brachium infantis extra pudenda prominere, applicata vero manuum opera impoſſibile erat partum promovere, usqve dum parturiens, excruciata longo partus labore, qvem perpeſſa erat, anteqvam noſtrum efflagitaverat auxilium, moriebatur. Perſvadebantur cognati, ut permitterent apertionem cadaveris, ecce inveniebamus abdomen multis flatibus tumidum, & dum ejusdem cultro anatomico perluſtrabamus cavitatem, Embryo in eadem haerebat, atqve ex utero ab injuria qvadam antecedente externa disrupto erat egresſus. Poſtea ulterius perveſtigabamus uteri ſtatum, conſpiciebamusqve, adhaerentem adhuc placentam uteri cum foetu connexam, eo in loco, ubi ſiniſtrum ovarium intermedia Tuba Fallopiana cum Utero connectitur, erat vero foeminini generis. In altera obſervatione diſſecuimus mulierem ſimili modo, ac priorem, in partu difficili extinctam, ubi iterum obſervabamus rupturam uteri, Embryonem ex utero in abdominis cavitatem prolapſum, eundemqve cum ſua placenta uteri lateri ſiniſtro adhaerentem, & ad ſexum elegantiorem pertinentem. Num vero exinde ſeqvatur, Ovaria ſiniſtra, comprehendere ovula, qvorum ſtamina ſint foeminina, ulteriori obſervatione non indignum judicamus.

TANTVM.